

Q. K. 541, 48

X 2125552

II i
1336

Exercitatio extra-Academica,
Exoterico Acroamatica

Catholico particulariter singularis & genico specificè
individualis,

*continens quaestiones vexatas
sive*

Problemata Nuptialia
Anti Monastica,

BIBLIOTHECA
POMERANICA

Inprimis odiosissimis Orbiliano-Severianismi, Scythro-
po-Sauertopismi, & Caco-Misanthropismi phantasticis gryllis
atq; molestiis opposita, & nunc demùm, post relegatas rugosas Ther-
sitarum morositates, Occamistarum, Metaphysicabilitudinariorum,
Transcendentalistarum, atq; Summulariorum, ac Summulistarum (ali-
ud, juxtà Erasmus, ex aliò miscentium ac remiscentium, & pharma-
copolarum ritu, ex novis vetera, ex veteribus nova, è pluribus unum,
ex uno plura subinde fingentium ac refingentium.)

more Quodlibetico repetita,

ut eorundem debita ventilatio, à sinceris & sufficienter erugatis
Hilarianismi Alūnis, ad erugādas Antinuptiales rugas praesentis tem-
poris, atq; seculi hujus rugosissimi, rigidissimi, & rigorosissimi, vel si
mavis, ferrei aut lapidei, rugacissima s, decenter institui
possit,

Partim *in ipso hodiernae promotionis actu*, ejusq; indicto rigoroso ex-
amine & requisitae idoneitatis exploratione,

Partim *in Conventu* tum *Candidatorum* utriusq; Juris tam Viniani,
quam Keüterlingiani, tum *expectantium* & fautorum D. Brautsuppia-
nismi, atq; sponsificabilissimi, & inde pendentis sponsificabilitatis,
atq; sponsificabilitudinis reciprocae,

Partim verò *in futurà solenni Disputatione*,

Olim Censurae Scotistarum tenebricosissimi & subtilissimi Principis
offerenda, jam verò ex superstite MS. haetenus nunquam viso, à ti-
nearum & blattarum injuriis tandem liberata,

Cujus summam exhibet *Titulus* sequens



DISPUTATIO SOLENNIS
De
ANTISTERILIANISMO
Matrimoniali

ejusq; tùm essentiâ tùm existiâ hîc & nunc investigabili, unâ
cum fructibus perceptis & in posterum visibiliter percipiendis,

pro L O C O

in Amplissimâ Facultate

GONEUTICA

legitimè consequendo,

in Auditorio D. *Abbatii* & D. *Materni*

Præside

Simul & Opponente

DESIDERIO DESIDERATO,

Venerandæ Paternitatis Candidato desiderabili, Promotore
hodierno ritè constituto,

Respondente

DESIDERIA DESIDERATA

Doctorabilitatis hætenus Candidatâ, nunc verò
mox Doctorandâ Doctorabili,

Ut deinceps plenariè Doctorata fruatur privilegiis, im-
munitatibus atq; Exemptionibus novantiq; societatis
expectantium viva Maternitatis præmia.

Problema I.

A *N hortus* in amplissimâ significatione, etiam pro
Vineâ vel solitariâ, vel horto conjunctâ, acceptus,
sive proprius, sive alienus, sive domificatus, sive nō
domificatus, sive vicinior, sive remotior; sive clausus, sive
apertus, sive urbanus, sive paganus, vel etiam suburbanus,
sive intramuralis, sive extramuralis *possit esse locus cōpetēs,*
etiam nō remotis arbitris, *decenter proponendi, ventilan-*
di

di & decidendi *quaestiones* Candidatorum Matrimonii *preliminares*, in primis verò, de singularis *Arboreti plantatione*, & plantatorum requisitis atq; officiis, ut & de *Mixturâ simplici Linguarum* tam Orientaliũ quàm occidentalium harmonicâ, ejusq; possibilitate: nec non de obtinendâ *expectantiâ* futuræ affirmativæ & consequente Solenni invitatione *Tertii intervenientis*: Et nũ Antediliviana *Archi Parentis* antiquissimi (frustrâ contradicentibus PræAdamitis utopicis dudum relegatis) *autoritas & praxis* hodierna felicissima hac in parte sufficere possit futuris imitatoribus Hortensius Hortulanis atq; desideratissimis *ortus ex horto desideriiis*?

Problema II.

An *Monachus* dono Continentiæ destitutus, infelici successu vim naturæ inferens, & irrito conatu impossibilia tentans, adeoq; impurus conjugii hostis pertinacissimus & planè inemendabilis, rectè dicatur *eine böse Stebene*. videlicet

1. nō animal? ein Unthier. (omne enim animal quærit sibi simile, Ein jeglich Thier hält sich zu seines gleichẽ.)

2. non-homo? ein Unmensch. (homo enim est animal sociabile & Politicum, unde Hebræi dicunt: Cui-cunq- non est uxor, is non est homo.)

3. destructor familiæ? ein Einreisser. (quia filii sunt columna domũs.)

4. Vastator? Ein verwüster. (Hebræi enim hominẽ, qui ad dies maturos venit, effusorem esse judicant humani sanguinis, si uxorem non duxerit.)

5. cujus status non-bonus? Ein nicht gut. (quia non est bonum, hominem esse solum, Væ soli.)

6. Carens adjutorio? *Ein ohne Hülffe.* (uxor enim est Viri adjutorium.)

7, Infelix? *Ein Unglückseliger.* (juxtà Hebræos enim, quisquis habitat sive manet absq; uxore, manet sine bono, sine gaudio, sine benedictione, sine habitatione, sine lege, sine muro, sine pace.)

Problema III.

An Sponsus materialiter & formaliter consideratus quatenus talis vel nō talis, sit certæ facultati addictus adversarii vel hostis vel Amicus. [v.g. Architectus, Poëta, Medicus,] & nū sit in omni, vel nullo, vel aliquo prædicamēto, sive directè sive indirectè: sive an sit suprâ vel intrâ vel infra prædicamēta, ut rectius deinceps cōstare possit de arbore prædicamentali nuptiali, ejusq; consignatione harmonicâ: an verò sit ens transcendens, aut ens in potentia, aut potens, aut ens possibile, aut materia, aut forma informans, vel assistens, vel causa socia aut sociabilis, vel æquivoca vel moralis; an verò sit Protheus Metamorphosibilis, & nihil, aut omnia, ex quo varia: & nū rectius appellari possit dignitatis maritalis & paternæ Candidatus vel Candidabundus, aut Candidaturiens, vel si mavis, sponsificabilis, sponsificatus, sponsificandus, sponsificabilitati vicinus aut sponsificaturienti proximus, sive animal vexans, vexabile, vel vexatissimum, & vice versâ? Et deniq; quodnam sit fundamentum conciliationis horum omniū, secundum diversos status, formas, qualitates, atq; actiones tam immanentes, quã emanantes, unius ejusdemq; subjecti: & qualis vel tandē ex hoc multiplici respectu & relatione expectanda sit Sponsæ definitio exactissima? Item: an, dū rebus sic stantibus certant
dispu-

disputantes, & adhuc sub iudice lis est, ante litis pendentiam liceat interim, salvâ subtilistarû autoritate, *Sponsam* catachresticè & catachrestibiliter, imò catachrestibilissimè & modo loqvendi planè novo & paradoxabiliter singulari zato, atq; nunc demùm Hebræorum Idiomatici (ubi cognitio affectum simul & effectum includit) accommodato, appellare *objectum Gnostologiae practicae recentissimæ*?

Problema IV.

An Sponsa physicè simul & transcendentaliter considerata sit Ens complexû vel incomplexû, aut ens completû vel incompletû, perfectû vel imperfectû: an verò corp⁹ neutrû, neq; sanû neq; ægrû, sed instar privationis aut materiæ primæ, formâ informatē, quæ supposito det esse fieri & operari, appetentis: nec non *de sponsificationis causa* proximâ & adæquatâ, ej⁹q; momēto, formalitate, & futuritione atq; præteritione exactè definienda?

Problema V.

An & quando expectandus sit *Commentarius vivus in Articulos Smalcaldicos*, nemini unquam visus, & hæctenus invisibilis, neq; etiamnum ullâ potentiâ obedientiali, ad recipiendam visibilitatē præditus, nec non de illius determinabili futureitate, ej⁹q; hæc- ceitate aut hæcceismo futuribili, respectu possibilis tum quantitatis tum qualitatis, juxtâ illud:

Quàm pulcrum est digito monstrari & dici, hic est.

Problema VI.

An & quomodo *Promotor* neq; Decanus neq; ex Decan⁹, neq; ex Decanabund⁹, neq; potentiâ proximâ Decanabilitatis prædit⁹, possit *legitimare personam suam*, ad evitandas actionum nullitates?

Problema VII.

An & quis sit *conceptus formalis* entitativus *causa sociæ*, & quænam illius sit distantia à supposito, ej⁹q; spacio imaginario: nec non de actu ultimato concausabilitatis, atq; de concausati intentione, concursu, scopo, effectû & idoneo defectus supplemento?

Problema VIII.

Quæ qualis & quanta sit *differentia Specifica*, tùm *sponsa & uxoris*; tùm *Sponsi & Mariti*, & de illius commensuratione, harmoniâ atq; proportione, cum solennitate nuptiali, ejusq; initio, medio & fine, & num ideò, (quia olim tertiâ die nuptiæ facta sunt in Cana) necessariò complementum nuptiarû differendum sit usq; ad diem tertium?

Problema IX.

Quisnam vel ex *Lege positivâ* vel ex *Consuetudine rationabili*, vel ex ipsâ *veritate* sit *terminus fatalis*, aut momentum determinabile, sive insecabile temporis punctum *abstinendi à solenni illâ formula*: *Jungfer Braut*: & num *Brautsuppificationis* actus, ejusq; solennitas, cû usitatâ *habificatione*; sit testimonium sufficiens, singulis & universos *nuptialistas obligans ad abstinentiâ* à locutione veritati contrariâ & planè contradictoria?

Et porrò, num *contrâ* nondû auditâ & nec confessam nec convictam *sponsam ferenda sit sententia*? aut num advocatus ei concedendus, & ubi & quando, & in quo judicio? item: num instrumentum hîc possit habere locû, & quinam notarius, an immatriculatus, an ex matriculatus, idoneus possit esse testis aut Patrono sufficiens?

Et num admittenda sit *excusatio*: verba esse intelligenda secundum subjectam materiam?

Et deniq; quantum hâc in parte tribuendum sit *Sponsi testimonio in causâ propriâ ambiguo*? Imò, annon *actionem injuriarum* jure instituire possit sponsus, adversus contrariæ sententiæ fautores atq; defensores, qui ipsum tacitè accusant neglecti officii?

Problema X.

Unde & quando ortum habeat, litera illa e in vocabulo *Jungfer* *frau* ut exinde fiat *Jungefrau*? & num per approximationem, agentis ad patiens, aut per immutationem, aut per insitionem, aut per inoculationem, aut per transfigurationem, aut per transubstantificationem fiat insignis illa mutatio?

Problema XI.

Annò *Apostasias rea & apostatarum numero annumerabilis*, vel annumerabilitati vicinissima, vel vicinitati proxima, vel proximitati approximata, aut approximanda aut ab approximabilitudine vix aliena videri possit *Sponsa*, deserens Patriam, nomen & familiam,
mi-

migrando in alienam, mutato nomine, domicilio & vivendi genere, ita, ut deserto *Solitariorum* ordine, fiat *ex Virgine non Virgo*, *ex non Uxore Uxor*, cum perpetuâ relatione ad uxoritatis consequentia & maritalitatis fructus, & similia?

Problema XII.

An sponsa sponsificata sit homo, vel ens fictum, factum aut introductum Utopicum, aut novæ hæreseos accusanda, quasi videatur favere *Acephalis*, *carens capite*? (cum vir non Sponsæ sed Uxoris Caput existat.) Et non Entis nullæ sint affectiones;

Adeoq; num rectè exinde statuatur, nuptias esse causam sine qua non minimæ capitis diminutionis, ut *Salvâ libertate mutetur status*, & quæ sui juris fuit, alieno juri subjecta esse incipiat, juxtâ illud: *Er soll dein Herr seyn.*

Problema XIII.

An adhuc restet Metamorphosis, Ovidianâ nobilior & amabilior, ita ut fieri possit ex sponsâ sponsificata. Ex-Spōsa tandemq; uxor, mater & quæ sequuntur; simulq; ex sponso Ex-Sponsus, maritus, parens, avus, imò ex duobus unum, & una anima, habitans in distinctis corporibus?

Problema XIV.

An detur *Bibliotheca ambulans*, vivorum librorū origo & promptuarium, de quâ dicere liceat:

Quid vetat in libro, libros inquirere sponsum?

Tempus edax rerum, servat sibi credita: reddet

Ex-Sponsa, haud oleum aut operam periisse docebit.

Problema XV.

Quænati futura sit *norma adequata in posterum decidendi tum has & similes, tum etiam futuras*, quoad novæ insitionis fructus, ejusq; damnum cessans & lucrū emergens, hujusq; speratissimam approximationem, expectandas *controversias*? & num artificialis an verò naturalis, vel experimentalis potius hîc locum habere possit regula? in primis verò, *an arti & experientie natura*, & quidē non simpliciter, sed eatenus, quatenus hîc & nunc naturata, vel naturabilis, vel naturizanda, aut naturizabilis, vel naturizando non demū perfectionanda, aut perfectionibilis & suppositabilis, sed suppositata, perfectionata, personabilis, imò jam jam perfectionando, sive perfe-

QK 71 13 26
lectionizando, personabiliter personata, simulq; vocabilitati & lo-
quabilitati proxima, aliis omnibus *preferenda sit simpliciter?*

Problema XVI.

*Quid sentiendum sit de Cifio Jano nuptiali ejusq; tum initio, tum
genuino initii sensu?*

Cifio Janus *Epi* sibi vendicat, *Oe. Feli. Mar. An.*

Et nū ille necessariò obliget non solum *Janos*, sed etiā *Jani* sive
Johannis nomine appellatos, aut nū prætet tres Reges eorūq; aviā,
qvæ *Epiphania* nō nemini dicta putatur, per *Epi* intelligantur *Epi-*
scopi: Item: nū fortè *Oe.* respiciat genealogiā Regis *Og.* in *Basan*,
ejusq; posteritatē possibilē? & nū voces *Feli. Mar. An.* attineant, o-
mnes & singulos *Felicis Marcellini & Antonii* nomine gaudentes, ut
circa illos dies valedicere cogātur curis anti Nuptialistarū Thomi-
sticis. Item: Nū firma sit regula *Coleri* in Calendario *Oeconomico*
perpetuo ad d. *Felicis* annotata: *Um diese zeit ist gut Ehemachen.*

Et quid porrò de electione dierum insitioni, transplantationi, am-
putationi, inoculationi aptarum, sentiendum sit, & num applicare
hīc liceat illud:

Elige, cui dicas tu mihi sola places.

Tandemq; annon utile simul & jucundū sit, atq; futuris Hortulanis
necessariū, semper in promptu habere *Summarium Calendarii Mnemonici*
Chronologicū, ex quo judiciū formari possit extemporaneū, de tempore
sive Vernali sive æstivo, sive autumnali sive Brumali, nuptiis magis idoneo,
& annō certus hīc in parte *Patron* eligendus? & nū v.g cæteris omni-
bus præferendū sit *Matthias* hyemalis, vel potius *Matthæus* autumnalis,
vulgò *Brezelmaß und Hozelmaß* / ob Poëtæ monitum:

Mat Mat dicatur, sed festum non variatur.

aut num prætet *Majale Caput Philippus*, quem Rustici, ob fructus circā
illū diē expectandos appellant *Schoten Spitze*. vel *Johannes Baptista*,
der Sommerhanß oder *Blumenhanß*. vel *Evangelista*, *der Winterhanß*. vel
Paulus. *Kirsch Paul*. vel *Jacobus*, *Birn Jäckel*. vel *Bartholomæus*, *Muß Bar-*
thel. vel *Michaël*, *Rost Michel*. vel *Martinus*, *Gänse Märten*. vel *Barba-*
ra, *Castanten Barber*. vel *Nicolaus Schwetn Nickel*. vel *Lucia*, *Riß-*
pel Luge, vel *Thomas Bohnen Thoms*. vel quispiam alius.

Autorem noli quærere, nullus erat,

Nullus erat quondam, nunc fuit, est, & erit.

Non est, quod fuerat, quodq; erit, ipse fuit.

Q. N. 541, 48 X

Exercitatio

Exoterica

Catholico particulari

continens

Problema

Anti

Inprimis odiosissimis Opo-Sauertopismi, & Caco atq; molestiis opposita, & nufitarum morositates, Occam Transcendentalistarum, atq; S ud, juxtà Erasmus, ex aliò m copolarum ritu, ex novis veter ex uno plura subinde

more Qu

ut eorundem debita ventila Hilarianismi Alūnis, ad erugporis, atq; seculi hujus rugosif mavis, ferrei aut lapid


Partim in ipso hodierna prom amine & requisita

Partim in Conventu tum Ca quàm Keüterlingiani, tum e nismi, atq; sponsificabilismi atq; sponsific

Partim verò in

Olim Censuræ Scotistarum offerenda, jam verò ex sup nearum & blattar


Cujus summan



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue, Cyan, Green, Yellow, Red, Magenta, White, 3/Color, Black



Handwritten number 336 in a green circle.

Stamp: BIBLIOTHECA WIANA

Stamp: BIBLIOTHEK

